

SEMINA quatuor calida majora.

Carvi, Cumini, Anisi, Feniculi.

SEMINA quatuor calida minorata.

Ammios, Amomi, Apii, Dauci sylvestris.

SEMINA quatuor frigida.

Cucurbitæ, Citrulli, Melonis, Cucumeris.

*Terminorum quorundam technicorum
Explicatio.*

ABLUTIO. ELUTRIATIO.

Abluere est corpus solidum a solidibus vel a salibus liberare: *Elutriare* vero significat pulverem subtilem a grossiore repetitis aquæ adfusionibus abluedo separare.

AMALGAMATIO est metallorum ope argenti vivi solutio, qua mediante Mercurius eo modo cum metallo unitur, ut æqualem ac visui homogeneam simul constituat massam. Unio hæc pro diversa metallorum indole diverso obtinetur modo. Massa hac operacione obtenta

Amalgama vocatur.

BAL-

BALSAMUM, aut BALSAMUS est vel nativus, vel artefactus. Per primum intelligimus liquorem resinosum plus minus spissum, sponte ex variis arboribus exstlicantem; secunda vero denominatio variis unguentis, oleis, & spiritibus aromaticis arbitrarie tribuitur.

BOLUS, ELECTUARIUM, CONFECTIO humida & sicca, (*Trochisci, Morsuli, Tabulæ, Rotulæ*) CONDITUM, ECLEGMA, LINCTUS, Looch ferme synonyma sunt, saepe, præser-
tim humida, indiscriminatim ponuntur, quum vix, nisi consistentia, majori minorive ariditate, aut ingredientium pluralitate inter se differant, sunt igitur

Bolus & Electuarium medicamenta, quæ constant pulveribus &c. pulpa, melle, syrupo aut alio apto liquido exceptis, & in massam mollieris consistentiae redactis. *Bolus* unica absuntur dosi; *Electuarium* majori communiter paratur copia.

*Confectio quoque electuarii mollio-
ris species est: dum humida dicitur,
mel-*

mellis cocti paullo majorem consisten-
tiam habet; arida vero seu *sicca* sub
Trochiscorum, *Morsulorum*, *Tabularum*
aut *Rotularum* nomine venit.

Trochisci e pulveribus cum mu-
cilagine in massam subactis formam
acquirunt orbicularem utrinque de-
pressam.

Morsuli, *Tabulae*, *Rotulae* ex
faccharo ad consistentiam tabulatam
cocto communiter funduntur, ad-
misisti non raro variis speciebus:
cæterum non nisi forma inter se
discrepant.

Conditum confectionis loco nonnun-
quam ponitur: quid vero proprie fit,
vide suo ordine.

Confecta vero ea vocantur, quæ
faccharo sicco incrustata sunt, & ple-
rumque facchari confectoribus paranda
committuntur. Tandem: *Elegma Græ-
cis*, *Loob Arabibus*, *Linctus Latinis*
medicamentum dicitur consistentiæ me-
diæ

diæ inter syrum & electuarium molle, lenissime deglutendum.

CATAPLASMA, SINAPISMUS, EPITHEMA
sunt medicamenta topica sive ad certum quemdam locum externe adplicanda.

Cataplasma vulgariter parari solet ex plantis earumque partibus ruditer pulveratis, coctione, vel etiam cruda dumtaxat commixtione cum aqua, lacte, oleo &c. in pultis consistentiam redactis.

Si seminum finapis farina aceto, fermento panis &c. permista Cataplasma efformat, *Sinapisinus* communiter audit.

Fluidum vero medicamentum panis, linteis, spongiis &c. excipiendum *Epithema* seu *Fomentum* nuncupatur. Interdum species vel siccæ, vel liquido quodam irroratae, ac externe adplicatae eodem hoc nomine insigniuntur.

Pharmacop.

G

CERET

CEREI aut CEREOLI, vid: EMPLASTRA.

CHEMIA, PHARMACO-CHEMIA, PHARMACIA, PHARMACOPOEUS, PHARMACOPEA, PHARMACOLOGIA &c. ita collimitant, ut diversi vix patientur.

Est igitur *Chemia* pars physices experimentalis, sive scientia docens examinare corpora per ignem aut menstrua: corpora videlicet in suas partes constitutivas dividere; nonnulla in pristinam denuo formam restituere; aut vario inter se combinare modo.

Illa chemiae pars, quæ usui medico tantum inservit, *Pharmaco-chemia* vocatur.

Pharmacia sive *Ars pharmaceutica* illa dicitur ars, qua mediante docemur medicamenta simplicia colligere, selegere, debite asservare, nec non, ubi opus est, ad normam præscriptam rite componere. Vir artem hanc exercens *Pharmacopoeus* nuncupatur.

. Phar-

Pharmacopoea vero est vel ille locus, in quo pharmaca cum cruda tum præparata asservantur; vel liber talis, in quo norma præparationis medicamentorum continetur, qui liber etiam *Dispensatorium medicum* audit.

Pharmacologia demum est historia sive recensio omnium medicamentorum: hæc etiam sub titulo *Materiæ medicæ* venire solet.

CLARIFICATIO sive **DEPURATIO** est liquoris turbidi aut impuri a partibus hunc insufficientibus crassioribus liberatio. Fit autem vel per

Despumationem: dum spuma ac cum hac heterogenea quæque innatantia durante liquoris coctione cochleari auferuntur. Vel per

Subsidentiam: si in liquore ad quietem reposito partes crassiores propria gravitate fundum petunt, ut liquor dein clarus inclinationis ope decantari possit. Aut si liquor

Albumine ovi in spumam agitato
prius momento bullivit, tandemque
colatur. Vel etiam sola
Filtratione, si scilicet per chartam
emporeticam; aut

Percolatione, dum per pannum five
linteum liquor trajicitur.

CONDITUM, CONSERVA, SYRUPUS, MEL,
Roob, Pulpa &c. in eum sunt scopum, ut
corpora præsertim vegetabilium cum solida,
tum fluida, quantum fieri potest, recentia af-
ferventur.

Conditum proprie dicitur, si Fru-
ctus, Flores, Radices aut aliæ vege-
tabilium partes recentes, &, ut fieri
licet, integræ in syrupo aut melle ad
spissiorem consistentiam cocto adser-
vantur.

Conserva fit: si folia aut flores
plantarum recentium minutim concreta
vel contusa cum dupla aut tripla por-
tione

mo in tione facchari pulverati frigide com-
muniter commiscentur servanturque.

Syrupus: si decoctum, infusum,
aut succus herbarum vel fructuum &c.
addita proportionata quantitate faccha-
ri ad illam coquitur consistentiam, quæ
obtinetur, dum due partes facchari
in una parte liquidi facta unica ebulli-
tione solvuntur. *Mixa syrupo* paullo
spissior est.

Mella medicata eodem ac syrapi
fiunt modo, nisi quod ad debitam
eorum acquirendam consistentiam ad
unam liquoris partem tres partes mel-
lis requirantur.

Roob obtinetur, dum fructuum
succus cum quarta aut sexta parte
facchari ad pultis mollieris five gelati-
næ consistentiam coquitur.

Pulpa: si caro fructuum &c. de-
coctione cum aqua emollita, & per
setaceum trajecta addita portione fac-
chari ad debitam pultis consistentiam

inspissatur. *Panis* v. g. Cydoniorum est pulpa solidior.

DEFLAGRATIO, sive DETONATIO fit, dum varia corpora inflammabilia, præsertim mineralia crucibulo carenti injecta subito inflamantur; hæc cum, illa sine notabili strepitu aut fragore.

Dum spiritus vini super quibusdam corporibus comburitur, *deflagrari* quoque dicitur.

DESTILLATIO, ABSTRACTIO, COHOBATIO, RECTIFICATIO de liquidis stillatim trans euntibus communiter intelliguntur; interim **SUBLIMATIO** nonnullis quoque DESTILLATIO SICCA audit. Est vero stricte

Destillatio principiorum fluidorum & volatilium convenienti ignis gradu sub forma vaporis elevatorum in vas ex cipiens traductio.

Abstractio dicitur, si fluida solidioribus corporibus superadfusa destillentur.

Coho.

Cohobatio, si liquor abstractus vel eidem, vel recenti corpori readfunditur, iterumque abstrahitur.

Rectificatio, si liquores destillati nova destillatione per se depurantur, aut dephlegmantur.

Sublimatio vero est partium solidarum magis minusve volatilium corporis cujusdam diverso ignis gradu elevatio. Partes sublimatae leviores tenuioresque *Florum* nomine veniunt; rudiores vero magisque compactæ *Sublimatum* simpliciter vocantur.

Residuum ab omni destillatione ad expulsionem omnis omnino liquidí protracta, præcipue tamen sicca, *Caput mortuum* dicitur.

EDULCORATIO, *EDULCARE* significat medicamentum quoddam dulce reddere; vel etiam acida mineralia spiritus vini combinatione mitigare: nonnunquam *Edulcare*, etiam pro *Abluere* ast improprie sumitur.

EMPLASTRUM, CERATUM, CEREI, UNGUENTUM, LINIMENTUM, sola majori minore consistentia differunt; cæterum maximam communiter partem e corporibus pinguibus conficiuntur. Est igitur

Emplastrum medicamentum externum, supra corium vel linteum extendendum, cuti, cui tenaciter adhæret, adipicandum.

Unguentum butyri, dum consistit, consistentiæ plerumque esse solet.

Ceratum inter emplastrum & unguentum medium tenet.

Cerei, aut *Cereoli* fiunt: Dum lintei tenuioris frusta majora in ceratum ad hunc scopum compositum, super igne liquefactum intinguntur; hæc frusta dein in partes circiter sex aut septem uncias longas, ac dimidiā unciā latas discinduntur; in formam ellychnii convolvuntur; denuo in idem ceratum submerguntur, supra politum marmor volutando lævigantur; hæc vero

vero submerfio, & volutatio eosque iteratur, donec Cereoli justam nafti fint & crassitudinem, & glabritiem.

Linimentum consistentiam oleo parum spissiorem habet: est ergo unguentum mollius.

EMULSIO, EMULSUM, est liquor lacteus ex conquaſſatis præcipue ſeminibus oleofis ad- diuſione liquidi aquosi extractus, continens par- tes ſeminum oleofas, mucilaginosas, farino- fas.

EBULLITIO, EVAPORATIO, DECOCTIO, INSPISSATIO, EXTRACTUM pro scopo, in quem iſtituuntur, differre poſſunt. Intelli- gitur ideo per

Evaporationem lenta humidi ſuper- flui debito caloris gradu in auras di- ſperſio.

Ebullitio dicitur; dum evapora- tio violentior fit, cum motu & quo- dam ſtrepitū liquoris.

Decoctio sive *Decoctum* est: si quædam corpora liquori aquoso committuntur, ut durante coctione aut virtutem suam illi communicent, aut ab hoc penetrata mollescant: utrique tandem *Decocti* nomen convenit, communiter tamen liquori tribuitur: ipsa vero actio *Decoctio* dicitur.

Inspissatio vocatur, si decoctum vel succus expressus eo usque evaporetur, ut maxima pars abigatur humidi, ac in massam plus minus solidam condensetur, quæ tunc

Extracti nomine venit.

Inspissari quoque dicuntur lixivia nonnulla in massam salinam ficciam amorpham.

EFFERVESCENTIA est aëris superflui e corporibus in acidis solubilibus, præsertim alcalinis, dum cum acidis coeunt, expulsio sive extricatio, qui aër ita exiens in liquoris superficie bullulas sive spumam efformat, & hac ratione expulsus, acidoque inquinatus, fixus dici solet.

FER-

FERMENTATIO est motus intestinus partium alicujus corporis proportionate liquidi leni calore, vel sponte, vel addito quodam corpore motum hunc promovente excitatus; novo inde exurgente producto diversissimo quoad omnia a corpore illo pro fermentatione subeunda adhibito. Producta inde esse solent: *Spiritus inflammabilis* destillatione separandus; *Acetum*.

GELATINA, GLUTEN; GUMMI, MUCILAGO sunt corpora mucosæ plus minus consistentia. Est itaque

Gelatina substantia glutinosa, consistens, transparens, tremula, præprimis ex animalium partibus aquoso liquore extracta, ac superflua humidi quantitate orba. Hæc si maxima humili parte privatur ita, ut naturam tenacem magis solidam igne liquandam simulque transparentem induat,

Gluten nominatur.

Dantur quoque substantiæ vegetabiles viscosæ, constituendis gelatinis aptæ,

aptæ, quæ tamen communiter, si
spissiores
Gummi, si vero minus spissæ, at-
tamen lentæ sunt,

Muccago aut *Mucilago* adpellan-
tur.

GRADUS IGNIS, pro distinctis corporibus,
vario operationis scopo, diversitate adpara-
tus, plures longe divisiones subdivisionesque
pati posse facile intelligitur; interim quatuor
maxime communes a chemicis ordinarie sta-
tui solent, videlicet:

Digestorius, *Destillatorius*, *Sublima-
torius*, & *Vitrificatorius*.

HAUSTUS, **POTIO**, **JULAPIUM**, **MIXTU-
RA** vix inter se differunt.

Hauſtus ut plurimum dicitur me-
dicamentum liquidum interne pro una
dosi adsumendum. Idem de Potione
intelligendum, quamvis

Po-

Potiones, Julapia, Mixturæ plures sæpe doses contineant, vel non raro, præsertim Mixturæ, pulveres etiam immixtos habeant.

INFUSIO, MACERATIO, DIGESTIO vasis communiter instituuntur clausis, indeque producta sunt:

INFUSA, TINCTURÆ, ESSENTIÆ, ELIXIRIA &c. Aut, si abstrahuntur,

AQUÆ DESTILLATÆ, SPIRITUS, OLEA ÆTHEREA &c. Est vero

Infusio partium solubilium præcipue aromaticarum liquore aut frigido aut fervente adfuso in vasis clausis extractio.

Maceratio dicitur, dum liquor calorem atmosphæræ habens corpori macerando adfunditur relinquiturque per aliquod tempus, absque subministrato calore.

Digestio demum a Maceratione non nisi moderate adhibito, quem scilicet

re-

requirit, calore differt, ut liquor adfusus partes corporis digerendi validius penetrat, resolvat, dissolvatque.

Tinctura infusi species est, maceratione aut digestione peracta, ut liquor sive aquosus, sive spirituosus obtineatur tinctus.

Effentia nil aliud est, quam *Tinctura spirituosa magis saturata, minus pellucida.*

Elixirium est *Effentia maxime saturata, magis meraca, hinc etiam maxime opaca.*

Atque hi essent, si qui observati fuissent, inter *Tincturam, Effentiam & Elixirium* limites; interim præfati liquores sæpenumero promiscue ac pro lubitu Auctoris denominations gerunt.

Lævigatio est corporum siccorum subtilis *Pulveratio*, quæ etiam *Alkoholatio*, & non raro corporum solidorum *Præparatio* audit

dit, hac ratione scribuntur v. g. Lapidés
cancr. perpetti. Mater perlar. Succinum & reli-
qua præparata.

Liquatio sive **Fusio** est vel metallorum
vel corporum solidorum pinguium caloris ope
in fluorem deductio. Metalla quidem com-
muniter fundi dicuntur. *Liquamen* vero pro-
prie significat pinguedinem igne liquatam; at-
que ideo stricte de corporibus unctuosis, aut
resinoso - gummosis, quae vel calore, vel alio
quodam adjutorio in fluorem diffluxere, in-
telligi solet. Interim tamen ejusmodi Liqui-
da promiscue jam *Liquores*, jam vero *Liqua-
mina* audiunt.

Loricatio præcipue in retortis vitreis va-
lidiori igni exponendis obtinet. Est nempe
horum vasorum crusta argillacea obductio. Ipsa
crusta *Lorica* vocatur.

Lutum infervit ad vasorum commissuras
bene claudendas, præsertim ne rerum vola-
tilium, dum in igne tractantur, vapores avo-
lent. Hoc impediri potest

Vefi.

Vesica madefacta;

Charta pulte farinacea adglutinata;

Limo, Argilla &c.

quæ species lutorum diversimode, prout id necessitas expositulat, componi possunt.

MUCARUM five MUCHARUM jam infusum,
jam syrupum Rosarum denotat.

NYCHTHEMERUM five NOCTIDIALE spa-
tium significat viginti quatuor horarum, diem
& noctem comprehendens.

OLEA, BALSAMA NATIVA, RESINÆ,
BITUMINA sunt corpora inflammabilia, plus
minus liquida aut solida, unionem cum liquo-
ribus aquosis, fine corpore intermedio, re-
spuentia.

Oleum est corpus liquidum, in-
flammabile, parum aut plane non per-
se in aqua solubile. Habentur olea
vel nativa mineralia, vel Destillatione,
Expressione aut Excotione obtenta.

Olea

*Olea destillata vel ætherea, vel em-
ni sive pyreumatica sive adusta dicuntur.*

*Oleum æthereum spissius Balsa-
num, solidum vero, aut siccum
Resina nuncupatur. Bitumen a Re-
sina differt, quod hæc regno ve-
getabili, illud minerali tribuatur.*

*Olea porro acquiruntur Expressio-
ne & Excoctione. Cocta vero, sive
Infusa plus minus composita variisque
aliorum corporum particulis imprægna-
ta esse solent.*

*Oleum vitrioli, Salis tartari &
Myrræ per deliquium impropie olea
dicuntur.*

*PILULARUM MASSA, est ceræ inter di-
gitos emollitæ consistentia, ut facile inde
globuli efformari queant, integri deglutiendi.*

*PUTREFACTIO, quam aliqui tertium gra-
dum fermentationis esse volunt, est corpo-
rum muatito spontanea, qua sal alcalinus vo-
latilis producitur, aut extricatur.*

Pharmacop.

H

R.E.

REDUCTIO, REVIVIFICATIO: hæc de Mercurio ex minera, ejusque præparatis intelligitur, dum in pristinam massam metallicam currentem reducitur; illa de calcibus aliorum metallorum, dum vel destructo adhærente heterogeneo, vel restituto phlogisto prior iis tribuitur forma metallica.

Sal est substantia in aqua solubilis, in lingua saporem vel acidum, alcalinum, amarum, dulcem, stipticum, aut simpliciter falsum &c. excitans.

SOLUTIO, SOLVENS five **MENSTRUUM, DELIQUESCENTIA & DELIQUIUM.** Demum **PRÆCIPITATIO & PRÆCIPITATUM** correspondent ita, ut explicatio horum notam illorum theoriām præsupponat. Est ergo:

Solutio five *Dissolutio* partium constitutivarum corporis unius cum constitutivis alterius corporis natura vel manifeste vel saltim adparenter diversi unio, ita tamen, ut quædam attractio inter hæc corpora locum habeat.

Solvens seu *Menstruum* illud vocatur, quod vel fluiditate vel acrimonia,

monia, vel utroque simul in corpus solvendum agere videtur. Illud vero, quod in menstruo solvitur,

Solutum aut *Dissolutum* dicitur, quodque se quasi passivum exhibet.

Liquescentia, *Deliquescentia* & *Deliquium* vocatur, dum corpora quædam attracta undecunque (præsertim vero ex aëre) humiditate in liquorem disfluunt. Porro quoque

Solutio ipse nuncupatur liquor corpus in se solutum continens, qui liquor, si aliud corpus magis affine ei admiscetur, hoc arripit; illud vero dimittit, quod demum sibi relictum a liquore secedit. Hoc chemicis dicitur

Præcipitare. Actus ipse

Præcipitatio. Corpus dimissum

Præcipitatum.

Aliquando absque ullo addito solutum corpus pro parte saltem a suo menstruo secedit, & tunc dicitur

H 2

Præ-

Præcipitatio sive Præcipitatum per se.

SPIRITUS liquorem denotare deberet aqua specifice leviorem & volatilem; itaque Spiritus acidi improprie hoc titulo gauderent, nisi servanda esset denominatio jam recepta. Sunt igitur spiritus vel *inflammabiles* fermentatione vinosa producti; vel proprie *salini*, id est: liquores salem sive acidum sive alkalimum volatilem solutum continentes.

TOSTIO, DECREPITATIO, USTIO, COMBUSTIO, INCINERATIO, CALCINATIO, VITRIFICATIO &c. sunt operationes a minori ad maximum usque ignis gradum instituendæ; unde variis insigniuntur determinationibus v. g.

Tostio, Torrefactio citiorem denotat igne moderato exficationem, absque corporis torrendi adustione, solum ad destruendas ejus partes aquosas & mucilaginosas instituta.

Decrepitatio. Crepitare solus sal communis dicitur, dum ejus crystal-

li

li ope ignis humido suo orbantur, dis-
filiendo aridum sonum edunt, quod
proprie crepitare nuncupatur. Idem,
aut fine crepitatione, intelligendum de
Aluminis similibusque faliis dicta *Ustio-*
ne sive *Tostigne*.

Ustio est cuiusdam corporis ani-
malis aut vegetabilis ope ignis in car-
bonem conversio, vasis communiter
quodammodo clausis perficienda. Etiam
interdum de mineris & metallis, at im-
propriis, dicitur.

Combustio, *Incineratio*, intelligitur
de carbonis aut integri corporis, præ-
sertim vegetabilis, commutatione in
cineres.

Calcinatio fit, dum partium cuius-
dam corporis cohæsio per diurnio-
rem ignem destruitur ita, ut in sub-
stantiam friabilem aut pulverulentam
naturæ diversæ abeat.

Calces variæ hujus operationis
producta sunt, quæ tamen non ra-

ro etiam mediante variorum salium
arrofione præsertim e metallis ob-
tinentur.

Vitrificatio est demum corporis
cujusdam ignis validioris ope in cor-
pus compactum plus minus diapha-
num nova fusio: corpus inde obten-
tum

Vitrum dicitur.



PARS